



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De iis quae gesta sunt in Phrigia. Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

aliquem (vti in populi conuentibus in ecclesia mos est) ex scripto legisse putabam: sed ubi quam proxime ad eum accedens, quod factum erat, euidenter conspicabar, & alios omnes integris oculis & apertis vndiq; circumstantes, hunc autem solis mentis luminibus vtentem, & reuefa non pauca, velut prophetam proloquentem, & multis partibus eos, quibus corporis sensus san & valentes erant, superantem, non potui nō deum ea de re tum summis laudibus efferre, tum in primis admirari. Et euidēs certe ac firmum argumentum mihi videre videbar, eum re ipsa & veritate hominem esse, non qui in extrema corporis forma & specie, oculis subiicitur, sed qui in ipso animo & interiore cogitatione residet, qui quidē in isto, licet corpus deformatum mancumq; esset, maiore tamen interioris suę facultatis virtutem declarauit. Illis autem, quos diximus, in loco separato commorantibus, & consueta ipsorum vitæ instituta in orationibus, in ieunius, in reliquis exercitationibus exequentibus, Deus ipse dextram benignā & propitiā porrigen, largitus est, ut per martyrium salutarem vitæ exitum consequentur. Hostis namque & aduersarius noster diabolus, eos quidē, vtpote præcibus attentissime ad deum suis, contrā ipsum armatos, non amplius ferre poterat, sed sicuti putabat, molestiam ipsi exhibentes, trucidare & ē terra tollere instituit: quippe Deus illi hoc agere molieti potestatem concessit, vt pariter nec ipse ab improbitate, quam dedita opera decreuisset, vlla ex parte arceretur, & hi præclara pro multis suis ac variis certaminibus premia iam tandem acciperent. Ea de causa ex scelētissimi Maximini imperatoris mandato, uno die unde quadraginta martyres capitis pœna multantur. Ista sunt martyria octo annis integris in Palæstina patrata.

Deiis quæ gesta sunt in Phrigia.

CAP. XXIII.

VErum quid opus est multa persequi, & nouas piorū martyrum per orbem dimicationes, alteras alteris succedentes proferre, eorum quidem maxime qui
nqa

non communi lege, sed more & instituto bellico essent
vndique obfessi oppugnatique. Iamdudum enim vrbis
Christianorum, quæ est in Phrygia, vniuersa, vna cum
populo eiusdem, ab hominibus armatis obsidione vndiq;
cincta fuit, & dum viri simul cum teneris liberis, & vxo-
ribus, Christi dei omnipotentis opem inuocabant, faci-
bus ardenteribus iniectis incensa, propterea quod tum
vniuersus populus, qui ciuitatem incoluit, tum curator
eiusdem, & præfectus præsidij, pariter cum magistratibus
& priuatis omnibus, se Christianos ingenue confiteba-
tur, neque infidelibus, qui eos idolis hostias offerte ma-
dauerant, vlla ex parte volebant obtemperare. Quidam
autem Adaucus nomine, dignitate à Romanis ornatus,
genere apud Italos clarus, omni fere honorum gradu ab
imperatoribus potitus, & magistri officiorum, & quæsto-
ris generalis, munera integre & incorrupte executus, &
præter hæc omnia præclaris pietatis officiis, & confessio-
nibus fidei in Christum insigniter nobilitatus, tandem
quæstoris generalis pro pictatis defensione, dum adhuc
munere fungebatur, certamen ingressus, illustri marty-
rij corona gloriose redimitus fuit.

De compluribus tum viris tum mulieribus.

CAP. XXIIII.

Quid iam reliquos martyres nominatim commemo-
rare attinet, aut virorum multitudinem enumerare,
aut varia plagarum & suppliciorum genera, quæ in-
signes martyres perpessi sunt, oratione depingere? qui
partim securibus percussi interierunt, sicut his, qui erant
in Arabia, contigit: partim cruribus confractis diuexati,
veluti his, qui in Cappadocia versabantur, accidit: par-
tim etiam pedibus in sublime appensis, capiteque in ter-
ram demiso, igne paulatim succenso & leniter exar-
descente, & fumo è materia accensa ascendentे, suf-
focati, quemadmodum illis qui in Mesopotamia mora-
bantur, euenit: partim naso, auribus, & manibus ampu-
tatis, cæterisque corporis membris dilaniatis detor-
mati, ut his qui incolebant Alexandriam obtigit.
Quid opus est etiam eorum, qui Antiochiae martyrium

A a 4 iubie-